

ris pondo libram; reponebat in oleario fictili; utebatur, ut superius dixi, in nocte. multis profuit ad corpus in duplici calceo pellem caninam gestare.

CLXII. Ad utramlibet podagram torpedinem nigram vivam, cum
5 accesserit dolor, subicere pedibus oportet stantibus in litore non sicco, sed quod alluit mare, donec sentiat torpere pedem totum et tibiam usque ad genua. hoc et in praesenti tollit dolorem et in futurum remediat. hoc Anteros Tiberii Caesaris libertus supra hereditates remediatus est.

10 Genera medicamentorum et demonstrationes
ad serpentum ictus morsusque

CLXIII. Ut sis tutus, etiam si quando rus secesseris, ponam theriacarum compositiones, id est ad serpentum morsus atque ictus medicamenta. sed prius quae cognita habui remedia, ne cui serpentes noceant, dicam.
15 habere ergo in cinctu oportet peucedanum vel cervi, cum captus est, in oculi angulo, qui est ad nares versus, quae inveniuntur sordes virosi odoris; has Siciliae venatores diligenter colligunt et habent in cinctu propter ante dictam causam. idem praestat et hierobotane et trifolium acutum, quod oxytriphylon Graeci appellant; nascitur et hoc Siciliae plurimum.
20 nam in Italiae regionibus nusquam eam vidi herbam nisi in Lunae portu, cum Britanniam peteremus cum deo nostro Caesare, plurimum super circumdatos montes. est autem foliis et specie et numero similis communi trifolio, nisi quod huius pleniora sunt et quasi lanuginem quandam super se habent et in extrema parte velut aculeum eminentem. sed huius frut
25 tex dum pedum interdum aut etiam amplior conspicitur et odorem gravem emittit, quorum nihil circa pratense trifolium invenitur. sed utrasque superius dictas herbas [quas] cum inveneris, pridie notare oportet et circumscribere sinistra aure fruges aliquas ponentem, atque postero die solis ortu sinistra manu vellere, ita illigatas habere.

30 CLXIII. In Africa aut sicubi scorpiones sunt nocivi, stellionem aridum in cinctu oportet habere.